



Ex illustri de Hsenburg, comitum in Büdingen familia procreatus, ex Custode majori in Archiepiscopum electus fuit anno 1459. die 20. Iulij, Verum non multo post, anno 1461. à Pio II. Pontifice Max. ex authoratus ac depositus, Adolpho comite Nassorio in eius locum substituto, ex quo Moguntina Ecclesia maximis calamitatibus, lammis ac miserijs afflicta fuit: tandem post annos 13. anno scilicet 1473. eodem Adolpho defuncto, hic rursus per Canonorum electionem assumptus, praefuit secundo annis 6. mens. 7. dieb. 21. pacifice ac quiete, sub quo regiminis tempore Castrum S. Martini Moguntiae de novo construxit, illudq. mox flammis absumptum firmiori è lapidibus opere ilico reedificavit: Universitatem quoq. Gymnasij generalis ibidem primus instituit ac fundavit, quam et Apostolicis privilegijs ac gratijs confirmari fecit. Obijt Aschaffenburgi anno 1482. die 7. May, in metropolitana Ecclesia Moguntiae sepultus.

